

Alte Drucke

**M. T. CICERONIS || EPISTOLÆ AD || COMPLVRES SCRIPTÆ, ||
QVAS VVLGO FAMILIARES || APPELLARVNT, || EDITÆ || DE
SENTENTIA || IOACHIMI CAMERARII || ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1578

VD16 ZV 31063

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD APPIVM CLAVDIVM, ET CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149712

solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Ciliæ
 libertus tuus antea mihi minus fuit notus, sed ut mihi
à te reddidit literas plenas & amoris & officij iurisci-
ce ipse suo sermone subsecutus est humanitatem lite-
rarum [a] tuarum. Lucunda mihi eius oratio fuit, 31.
 cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me
 habes quotidie, mihi narraret. ^{id est, ut ipse mihi} Quid quæris? Blandus
 factus est mihi familiaris, ita tamen, ut Phanium val-
 de sim desideraturus quem cum Romam remittes,
 quod (ut putabamus) celeriter eras facturum, omnib.
 ei de rebus, quas agi, quas curari à me volest, manda-
 ta des velim. L. Valerium Iuriconsultum valde tibi
 commendò, sed etiam, si non esset iuriconsultus.
 Melius enim ei cauere volo, quàm ipse, alijs solet. Valde
 hominem diligo: est ex meis domesticis atq; intimis
 familiaribus: omnino tibi agit gratias: sed idem scri-
 bit, meas literas maximum apud te pondus habituras.
 Id enim ne fallat, te etiam atq; etiam rogo. Vale.

M. T. C. PROCONSUL APPIO
 PVLCHRO IMPERAT.

S. P. D.

31

Babu Caluini
 CVM ET CONTRA VOLVN-

*in an-
 tere*
 tatem meam, & præter opinionem accidisset, ut mihi
 cum imperio in provinciam proficisci necesse esset: in
multis & varijs molestijs, cogitationibusq; meis, hæc
una consolatio occurrebat, quod neq; tibi amior,
 quam ego sum quisquam posset succedere: neq; ego
 ab vllò provinciam accipere, qui mallet eam mihi
 quam maxime aptam explicatamq; tradere. Quod si
tu quog; eandem de mea voluntate erga te spem ha-
 bes,

bes, ea te profecto nunquam faller. A te maximo-
 pere pro nostra summa coniunctione, tuag singu-
 lari humanitate etiam atq; etiam peto & queso, vt //
 31. quibuscumq; rebus poteris, (poteris autem [b] pluri-
 mis) prospicias, & consulas rationibus meis. Vides ex
 senatusconsulto prouinctam esse habendam: si eam
 (quoad eius facere potueris) quam expeditissimam
 mihi tradideris, facilius erui mihi quasi decursus mei
 temporis. Quid in eo genere efficere possis, tui con-
 silij est. Ego te, quod tibi veniet in mentem mea in-
 teresse, valde rogo. Pluribus verbis ad te scriberem.
 si aut tua humanitas longiorem orationem expecta-
 ret: aut id fieri nostra amicitia pateretur: aut res
 verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur. Hoc
 velim tibi persuadeas, si rationibus meis prouisum à te
 esse intellexero, magnam te ex eo & perpetuam vo-
 luptatem esse capturum. Vale.

M. T. C. APPIO PVLCHRO

S. P. D.

32

22 Maii
 ANX I. CALENDAS IUNIAS

Brundisium cum venissem, Qu. Fabius legatus tuus
 mihi praesto fuit, eaq; me ex tuis mādatis monuit, quae
 non modo mihi, ad quem pertinebant, sed vniuerso
 senatui venerant in mentem, praesidio firmiori opus es-
 se ad istam prouinciam. Censebant enim omnes fe-
 re, vt in Italia supplementum meis & Bibuli legio-
 nibus scriberetur. Id cum Sulpitius consul passurum
 se negaret, multa nos quidem quæsti sumus: sed tan-
 tus consensus senatus fuit, vt mature profiscisceremur,
 parendum vi fuerit: itaque fecimus. Nunc quod à te
 peti

petij literis ijs, quas Roma tabellarijs tuis dedi, velim
 tibi cura sit, vt quæ successori coniunctissimo & ami-
 cissimo commodare potest is, qui prouinciam tradit,
 ea pro nostra constantissima voluntate erga te, cura
 ac diligentia tua complectare, vt [a] omnes intelli- 32.
 gant, nec me beneuolentiori cuiquam succedere, nec
 te amicio potuisse prouinciam tradere. Ex ijs lite-
 ris, quarum ad me exemplum misisti, quas in sanatu
ad Paulum recitari voluisti, sic intellexeram, permultos a te mi-
 lites esse dimissos: sed mihi Fabius idem demonstra-
 uit, id te cognasse facere, sed cum ipse a te discede-
 ret, integrum militum numerum fuisse. Id si ita est,
 pergratum mihi feceris, si istas exiguas copias, quas
 habuisti, quam minimum imminueris: qua de re se-
 natuconsultum quæ facta sunt, ad te missa esse arbi-
 tror. Equidem pro eo, quanti te facio, quicquid fe-
 ceris, approbabo. Sed te quoque confido ea esse factu-
 rum, quæ mihi intelliges maxime esse accommodata.
 Ego C. Pontinum legatum meum Brundisij expe-
 ctabam: eumque ante Calenda Iulias Brundisium
 venturum arbitror: Qui cum venerit, cum pri-
 mum nauigandi nobis facultas data erit, eum utemur.
 Vale.

M. T. C. APPIO PULCRO

33

S. P. D.

habui PRIDIE NONAS IUNII, CVM
 essem Brundisij, literas tuas accepi: quibus erat scri-
 ptum, te L. Clodio mandasse, quæ illum loqui mecum
 velles. Eum sane expectabam, vt ea, quæ a te asser-
 ret, quamprimum cognoscerem. Meum studium er-
 ga te

ga te & officium, tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in ijs maxime declarabo, quibus plurimum significare potero, tuam mihi existimationem, & dignitatem carissimam esse. Mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus, L. filius, & diligentissime M. Octavius Cn. filius demonstravit, me a te plurimi fieri: [b] quod egomet plurimis argumentis iam antea indicaram, maximeq; illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum, suavisimum misisti. Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me diligere cepisti, quotidie pluris feci, tum accesserunt etiam coniunctiones necessariorum tuorum: duos enim tuarum atatum plurimi facio, Cn. Pompeium filiae tuae socerum, & M. Brutum generum tuum: Collegijq; coniunctio, praesertim tam honorifice a te approbata, non mediocrem vinculum mihi quidem attulisse videtur ad voluntates nostras copulandas. Sed si Clodium conuenero, ex illius sermone ad te scribam plura: & ipse operam dabo, te ut quamprimum videam. Quod scribis tibi manendi causam eam fuisse, ut me conuenires, id mihi, ~~me~~ ^{ne} mentiar, gratum est. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

S. P. D.

34

TRALLEIS VENI, AD XIII.
Calend. Sextileis: ibi mihi praesto fuit L. Lucius cum literis mandatis, ~~quo~~ ^{quo} quidem homine nemine potuisti, nec mihi amiciorem, nec (ut arbitror) ad ea cognoscenda, quae scire volebam, aptiorem, prudentio-

remite

habui

remue mittere. Ego autem & tuas literas legi-
benter & audiui Lucilium diligenter. Nunc quoni-
am & tu ita sentis (scribis enim quae de nostris of-
ficijs, ego ad te scripseram, etsi tibi incunda fue-
runt, tamen quoniam ex alto repetita sunt, non ne-
cessaria te putasse, & reuera confirmata amicitia,
& perspecta fide, commemoratio officiorum super-
uacanea est) eam partem orationis [a] pratermit-
tam: tibi tamen agam, ut debeo, gratias. Animad-
uerti enim, & didici ex tuis literis, te omnibus in re-
bus habuisse rationem, ut mihi consuleres, restituere-
que & preparares quodammodo omnia, quo mea ra-
tio facilius & solutior esse posset. Hoc tuum officium
cum mihi gratissimum dicam, sequitur illud, ut te
existimare velim, mihi magna cura fore, atque esse
iam, primum, ut ipse tu, tuque omnes, denique etiam
ut reliqui scire possint, me tibi esse amicissimum. Quod
quibus adhuc non satis perspectum est, id mihi nolle
magis hoc animo nos esse, quam non intelligere, vi-
dentur. Sed profecto intelligent, neque enim obscu-
ris personis, nec paruis in causis res agetur. Sed hoc
fieri melius, quam dici aut scribi volo. Quod itine-
rum meorum ratio te nonnullam in dubitationem vi-
detur adducere, visurusne me sis in prouincia: ea res
sic se habet: Brundisii cum loquerer, cum Phania li-
berto tuo, veni in eum sermonem, ut dicerem, libenter
me ad eam partem prouinciae primum esse venturum,
quo te maxime velle arbitrarer: tunc mihi ille di-
xit, classe te velle decedere: perfore accommoda-
tum tibi, si ad Sidam, maritimam partem prouinciae,
nauius accessissem: dixi me esse facturum, itaque
fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyra dixis-
set,

set, minime id esse faciendum: te Laodicea fore ad
meum aduentum. Erat id mihi multo breuius, mul-
tog, commodius, cum praesertim te ita malle arbitra-
rer. Tua ratio postea est commutata. Nunc quid fieri
possit, in facili me statues: ego tibi meum consilium
exponam. Pridie Calendas Sextileis puto me Laodi-
cea fore: ibi per paucos dies, dum pecunia accipitur,
33. [b] que mihi ex publica permutatione debetur,
commorabor. Deinde iter faciam ad exercitum, ut
circiter Idus Sextileis putem me ad Iconium fore.
Sed si quid nunc me fallit in scribendo (procul enim
absum ab re ipsa, & locis) simul ac progredi coepero,
quam celerrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis
ratio dierum atq, itinerum meorum. Oneris tibi im-
ponere nec audeo quicquam, nec debeo. Sed quod
tuo commodo fieri possit, vtriusq, nostrum magni in-
terest, prius ut te conueniam, quam decedas. Quam
facultatem si quis casus eripuerit, mea tamen in te
omnia officia constabunt, non secus ac si te vidissem.
Tibi de nostris rebus nihil sum ante mandaturus per
literas, quam desperaro coram me tecum agere pos-
se. Quod te a Scauola petuisse dicis, ut dum tu abesses
ante aduentum meum, prouincia praeset: eum ego
Ephesi vidi, fuitq, mecum familiariter triduum illud,
quod ego Ephesi commoratus sum: nec ex eo quic-
quam audiui, quod sibi a te mandatum diceret. Sane
vellem potuisset obsequi voluntati tuae: non enim ar-
bitror noluisse. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

S. P. D.

35

Cum

Pabui

CUM MEVM FACTVM CUM
 tuo comparo, etsi non magis mihi saueo in nostra ami-
 citia tuenda, quam tibi: tamen multo magis meo fa-
 cto delector, quam tuo. Ego enim Brundisij que-
 siui ex Phania, cuius mihi videbar & fidelitatem er-
 ga te perspexisse, & nosse locum, quem apud te iste te-
 neret: quam in partem prouincia maxime putaret te
 velle, vt succedendo primum venirem. Cum ille mihi
 respondisset, nihil me tibi [a] gratius facere posse, 34
 quam si ad Sidam nauigassem: etsi minus dignitatis
 habebat ille aduentus, & ad multas res mihi minus
 erat aptus, tamen ita me dixi esse facturum. Idem ego
 cum L. Clodium Corcyra conuenissem, hominem ita
 tibi coniunctum, vt mihi, cum illo cum loquerer, te-
 cum loqui viderer: dixi ei, me ita facturum esse, vt in
 eam partem, quam Phania rogasset, primum venirem.
 Tunc mihi ille cum gratias egisset, magnopere à me
 petiuit, vt Laodiceam protinus irem: te in prima pro-
 uincia velle esse, vt quam primum decederes: quin-
 nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te
 antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse:
 + quod quidem erat consentaneum cum is literis, quas
 ego Romæ acceperam, ex quibus perspexisse mihi vi-
 debar, quam festinares decedere. Respondi Clodio
 me ita esse facturum, ac multo quidem libentius,
 quam si illud esset faciendum, quod promiseram Pha-
 nia. Itaq; & consilium mutavi: & ad te statim mea
 manu scriptas literas misi: quas quidem ex tuis lite-
 ris intellexi satis mature ad esse perlatas. Hoc ego
 meo facto valde delector: nihil enim potuit fieri a-
 mantius. Considera nunc vicissim tuum. Non mo-
 do ibi non fuisti, vbi me quam primum videre posses,
 sed eo

(7)

sed eo discessisti, quod ego te ne persequi quidem possim
 triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opmor)
 Cornelia constituti essent: ut tuum factum illis, qui quo
 animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut le-
 uissime dicam) & fugientis congressum: meum vero
 coniunctissimi & amicissimi esse videatur. At mihi ta-
 men ante, quam in provinciam venissem, reddita sunt
 34. a te [b] litera: quibus etsi te Tarsum proficisci de-
 monstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei con-
 ueniendi afferebas: cum interea, credo equidem, ma-
 leuoli homines (late enim patet hoc viciium, & est in
 multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermo-
 nis, ignari meae constantia, conabantur, alienare a te
 voluntatem meam, qui te forum Tarsi agere, statuere,
 multa decernere, iudicare dicerent, cum posses iam
 suspicari tibi esse successum: quae ne ab ijs quidem fieri
 solerent, qui breui tempore sibi successum iri putaret.
 Horum ego sermone non mouebar: quin etiam (credas
 mihi velim) si quid tu ageres, leuari me putabam mo-
 lestia: & ex annua prouincia, quae mihi longa videre-
 tur, prope iam vndecim mensium prouinciam factam
 esse gaudebam, si absenti mihi vnius mensis labor de-
 tractus esset. Illud (vere dicam) me mouet, in tanta
 militum paucitate abesse treis cohortes, quae sunt ple-
 nissima, nec me scire, vbi sint. Molestissime autem fero,
 qd te vbi visurus sim, nescio: eoque ad te tardius scripsi,
 quod quotidie te ipsum expectabam: cum interea ne
 literas quidem vllas accepi, quae me docerent, quid
 ageres, aut vbi te visurus essem. Itaque virum fortem,
 mihiq, imprimis probatum Antonium praefectum euo-
 catorum misi ad te, cui si tibi videretur, cohortes tra-
 deres: ut dum tempus anni esset idoneum, aliquid ne-
 gotij

#



gocij ^{gerere} ~~generis~~ possem. In quo tuo consilio ut me sperarem esse vsurum, & amicitia nostra & litera tua fecerant: quod ne nunc quidem despero. Sed plane quando, aut ubi te visurus sim, nisi ad me scripseris, ne suspicari quidem possum. Ego, ut me [a] tibi amicissimum esse & equi & iniqui intelligant, curabo. De tuo in me animo iniquis secus aestimandi videris non nihil loci dedisse: id si correxeris, mihi valde gratum erit. Et ut habere rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia conuenias, ego in prouinciam veni pridie Calend. Sextilis, iter in Ciliciam facio per Capadociam: castra moui ab Iconio pridie Calendas Septembris. Nunc tu & ex diebus et ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit, & quo die. Vale.

M. T. C. SALVTEM DICIT
36 APPIO PVLCHRO.

PLVRIBVS VERBIS AD TE scribam, cum plus ocij nactus ero. Hec scripsi subito, cum Bruti pueri Laodicea me conuenissent, & se Romam properare dixissent. Itaque nullas us, praeterquam ad te & ad Brutum dedi literas. Legati Apameani mibi volumen a te plenum querela inquisita reddiderunt, quod eorum adificatione literis meis impedisset. Eadem epistola petebas, ut eos quamprimum, ne in hyemem inciderent ad facultatem adificandi liberarem: & simul peracute querebare, quod eos tributa exigere vetarem prius, quam ego re cognita permissem: genus enim quoddam fuisse impediendi, cum ego cognoscere non possem, nisi cum ad hyemem me

ex Cis

ex Cilicia recepissem. Ad omnia accipe & cognosce
 aequitatem expostulationis tuæ. Primum, cum ad me
 aditum esset ab ijs, qui dicerent à se intolerabilia tri-
 buta exigì: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne
 39. facerent, antequam ego rem causamq; [b] co-
 gnoscerem? Nam poteram, credo, ante hyemem:
 sic enim scribis, quasi vero ad cognoscendum ego ad
 illos, non illi ad me venire debuerint. Tam longe in-
 quis? quid, cum dabas ijs literas, per quas mecum
 agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hyemem
 edificarent, non eos ad me venturos arbitrabare?
 Tametsi id quidem fecerunt ridicule: quas enim lite-
 ras afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi
 post brumam reddiderunt. Sed scito, & multo plu-
 reis esse, qui de tributis recusent, quam qui exigì
 velint, & me tamen, quod te velle existimem, esse
 facturum. De Apameanis hæc enus. A Pausania Len-
 tuli liberto, ac Cæsonio audiui, cum diceret, te se-
 cum esse questum, quod tibi obuiam non prodissem.
 Scilicet contemsi te: nec potest fieri me quicquam
 superbius. Cum puer tuus ad me secunda fere vigilia
 venisset, isque te ante lucem Iconium mihi ventu-
 rum nunciasset, incertumq; vtra via, cum essent due:
 altera Varronem tuum familiarissimum, altera. Qu-
 leptam præfectum fabrum meum tibi obuiam misi,
 mandauitq; vtrig; eorum, ut ante ad me excurrerent,
 ut tibi obuiam prodire possem. Currens Lepta ve-
 nit, mihiq; nunciauit, te iam castra prætergressum
 esse: confestim Iconium veni: cætera iam tibi nota
 sunt. An ego tibi obuiam non prodirem? primum Ap-
 pio Claudio? deinde, Imperatori? deinde, more ma-
 iorum? deinde, quod caput est, amico? præsertim

rum in isto genere multo etiam ambitiosius facere so-
 leam, quam honos meus & dignitas postulat. Sed hac
 hactenus. Illud idē Pausania dicebat te dixisse. Quid?
 Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiam,
 [a] Cicero Appio noluit? Quæso, etiam ne tu has
 ineptias, homo (mea sententia) summa prudentia,
 multa etiam doctrina, plurimq; rerum usu, addo vrba-
 nitatem, quæ est virtus, vt Stoici rectissime putant:
 vllam Appietatem & Lentulitatem valere apud me
 plus, quam ornamenta virtutis existimas? Cum ea
 consecutus nondum eram, quæ sunt hominum opinio-
 nibus amplissima, tamen ista vestra nomina nunquam
 sum admiratus: viros eos qui ea vobis reliquissent,
 magnos arbitrabar. Postea vero, quam ita & cæpi &
 gessi maxima imperia, vt mihi nihil neg. ad honorem,
 neg. ad gloriam acquirendam deesse putarem: supe-
 riorem quidem nunquam, sed parem vobis me speravi
 esse factum. Nec mehercule aliter vidi existimare vel
 Cn. Pompeium, quem omnibus, qui vnquam fuerunt,
 vel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono. Tu si
 aliter existimas, nihil errabis, si paulo diligentius, vt
 quid sit ἔργον, quid sit δόξα, intelligas: & si A-
 thenodorus Sandonis filius quid de his rebus dicat, at-
 tenderis. Sed vt ad rem redeam, me tibi non ami-
 cum modo, verum etiam amicissimum existimes ve-
 lim: profecto omnibus meis officiis efficiam, vt ita es-
 se, vere possis iudicare. Tu autem si id agis, vt minus
 mea caussa, dum ego absūm, debere videaris, quam
 ego tua laborarim: libero te ista cura. καὶ εὐοίηε ἡ
 ἀνδρὶ δικῇ με τιμῆσαι, μέλιστα δ' ὑπὲρ ταύτης. Si
 autem natura es φιλότιμος, illud non perficies, quo
 minus tua caussa velim: hoc assequere, vt in quam
 partem

partem accipias, minus laborem. Hac ad te scripsi liberius, fretus conscientia officij mei, beneuolentiaq;
 36. [b] ^{quantum a me certo iudicio susceptam, quod tu vo-}
 les, conseruabo. Vale.

M. T. C. SALVTEM DICIT
 APPIO PVLERO.

37

ETSI QUANTVM EX LITE-

ris tuis intelligere potui, videbam te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum, refrigerato iam leuissimo sermone hominū prouincialium: tamen cum tu tam multis verbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putauī, ut tuis literis breui responderem. Sed prima duo capita epistolae tuae tacita mihi quodammodo relinquenda sunt. Nihil enim habent, quod aut definitum sit, aut certum, nisi me vultu & taciturnitate significasse tibi non esse amicum, idq; pro tribunali cum aliquid ageretur, & non nullis in conuiuijs intelligi potuisse. Hoc totum nihil esse, possem intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo. Illud quidem scio, meos multos, & illustres, & ex superiore, & ex aequo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostrae familiaritatis, ad te fere potuisse deferri. Nam quod ad legatos attinet, quid à me fieri potuit aut elegantius aut iustius, quam ut sumtus egentissimarum ciuitatum minuerem, sine vlla immi-
 37. runt, sumtus decerni [a] legatis nimis magnos cum
 F 3 soluen-

soluendo ciuitates non essent. Hic ego multa simul cogitavi, primum te hominem, non solum sapientem, verum etiam (ut nunc loquimur) urbani, non arbitraber genere isto legationum delectari: idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputasse. Primum Appium Claudium senatui, populoque Romano non Myndensium testimonio (de ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum. Deinde me ista vidisse multis accidere, ut eorum causa legationes Romam venirent: sed his legationibus non meminisse ullum tempus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati essent: consilium totum videri minime necessarium. Si autem vellent declarare in eo officium suum, laudaturum me: si quis suo sumtu functus esset officio, concessurum, si legitimo: non permissurum, si infinito. Quid enim reprehendi potest, nisi quod addis, visum esse quibusdam, edictum meum, quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum? Iam vero non tantum mihi videntur iniuriam facere quod qui hac disputant, quam is, cuius aures, ad hanc disputationem patent. Roma composui edictum, nihil addidi, nisi quod publicani me rogarent, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. Diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumtus ciuitatum, quo in capite sunt quedam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. Hoc vero, ex quo suspitio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est. Neg enim eram tam desipiens, ut priuata rei causa legari [b] putarem, qui & tibi non priuato, & pro re non

non priuata sua, sed publica, non in priuato, sed in publico orbis terra consilio, id est, in senatu, ut gratias agerent, mittebantur: neque etiam cum edixi, ne quis inuissu meo profiscisceretur, exclusi eos, qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent. Nam id est maxime in tuis literis irridendum. Quid enim erat, quod me persequerentur in castra, Taurumne transirent? cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diocesum, quæ cis Taurum sunt, omniumque earum ciuitatum magistratus, legationesque conuenirent. Nisi forte postea coeperunt legare, quam ego Taurum transgressus sum, quod certe ita non est. Cum autem Laodicea, cum Apamea, cum Synnada, cum Philomeli, cum Iconiis essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum, omnes iam istius generis legationes erant constitutæ. Atque hoc tamen te scire volo, me de isto sumtu legationum aut minuendo aut remittendo decreuisse nihil, nisi quod principes ciuitatum me postulassent, ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem (quam tu non ignoras) capitum atque officiorum inducerentur sumtus minime necessarij. Ego autem cum hoc suscepissem, non solum iusticia, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miseris perditas ciuitas, & perditas maxime per magistratus suos, non potui in illo sumtu non necessario negligens esse. Tu, cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. Si autem hoc genere delectaris, ut quæ tibi in mentem veniant, alijs attribuas, 38. genus sermonis inducis in amicitiam minime [a] liberale. Ego si in provincia de tua fama detrabere unquam cogitasset, non ad generum tuum Lentulum,

lum, neq, ad libertum tuum Brundisij, neq, ad præfectum fabrum Corcyra, quẽ in locum me venire velles, retulissẽ. Quare potes, doctissimis hominib. auctoribus, quorum sunt de amicitia gerenda præclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere :
 DISPUTANT, EGO CONTRA
 DISSEREBAM. DICEBANT, EGO
 NEGABAM. An mihi de te nihil esse dictum unquam putas ? ne hoc quidem, quod cum me Laodiceam venire voluisses, Taurum ipse transisse ? quod ijdem diebus meus conventus erat Apamea, Synnadis, Philomeli, tum Tarfi ? Non dicam plura, ne in quo te obiurgem, id ipsum videar imitari. Illud dicam, ut sentio, si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est : sin alij tecum hæc loquuntur, tua tamen, quod audis, culpa nonnulla est. Mea ratio in tota amicitia nostra constans & gravis reperitur. Quod si quis me astutiores fingit, quid potest esse incallidius, quam, cum te absentem semper defenderim : cum præsertim mihi usu venturum non arbitrarer, ut ego quoq, absens à te defendendus essem : nunc committere, ut tu iure optimo me absentem deserere posses ? Vnum genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici : si aut legatorum tuorum quispiam, aut præfectorum, aut tribunorum militum, maledicit : quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente, ut aut gravius diceretur, aut impurius, quam mecum Corcyra Clodius est locutus : cum in eo genere maxime quereretur, te aliorum improbitate [b] 38 minus felicem fuisse. Hos ego sermones, quod & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio,
 non

non offendunt, lacesui vnquam, sed non valde re-
 pressi. Si quis est, qui neminem bona fide in gratiam
 putet redire posse, non nostram is perfidiam coarguit,
 sed indicat suam: simulq; non de meis peius, quam de
 te existimat. Sin autem quenquam mea instituta in
 prouincia non delectant, quadam dissimilitudine insti-
 tutorum meorum ac tuorum ladi se putat, cum vter-
 que nostrum recte fecerit, sed non idem vterq; secu-
 tus sit: hunc ego amicum habere non curo. Libera-
 litas tua vt hominis nobilissimi, latius in prouincia
 patuit. Nostra si angustior erit, & si de tua proluxa,
 beneficag, natura limabit aliquid posterior annus,
 propter quandam tristitiam temporum, non debent
 mirari homines, cum & ipse natura semper ad largi-
 endum ex alieno fuerim restrictior, & temporibus,
 quibus alij mouentur, ysdem ego mouear, me esse
 acerbum sibi, vt sim dulcis mihi. De rebus vrbanis
 quod me certiore fecisti, cum per se mihi gratum
 fuit, tum quod significasti tibi omnia mea mandata
 cura fore: in quibus vnum illud te precipue rogo, vt
 cures, ne quid mihi ad hoc negocij aut oneris accedat,
 aut temporis: Hortensiumq; nostrum collegam &
 familiarem roges, vt si vnquam mea caussa quicquam
 aut sensit aut fecit, de hac quoq; sententia bima dece-
 dat, qua mihi nihil potest esse inimicus. De nostris
 rebus quod scire vis, Tarsi Nonis Octob. Amanum
 versus profecti sumus. Hæc scripsi postridie eius diei,
 dum castra haberem in agro Mosestia. Si quid ege-
 ro, scribam ad te: neq; domum vnquam ad meos li-
 teras. [a] mittam, quin adiungam eas, quas tibi
 reddi velim. De Parthis, quod quæris, fuisse nullos
 puto. Arabes qui fuerunt admisso Parthico ornatu

dicuntur omnes reuertisse. Hostē esse in Syria negant
vllum. Tu velim ad me quam sepius & de tuis re-
bus scribas, & de meis, & de omni Reipublica statu,
de quo sum sollicitus eo magis, quod ex tuis literis co-
gnoui, Pompeium nostrum in Hispaniam iturū. Vale.

M. T. C. APPIO PVLERO

38

S. P. D.

VIX TANDEM LEGI LITE-
ras dignas Appio Claudio, plenas humanitatis, officij
diligentia. Aspectus videlicet vrbis tibi tuam pristinam
urbanitatem reddidit. Nam quas ex itinere ante, quā
ex Asia egressus es, ad me literas misisti, vnas de lega-
tis a me prohibitis proficisci: alteras de Apameorum
edificatione impedita, legi perinuitus, Itaq; conscien-
tie meae constantis erga te voluntatis rescripsi tibi sub-
iratus. Iis vero literis lectis, quas Philotimo liberto
meo dedisti, cognoui intellexiq; in prouincia multos
fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent.
Ad urbem vero vt accesseris, vel potius vt primum tuos
videris, cognouisse te ex ijs, qua in te absentem fide,
qua in omnibus officijs tuendis erga te obseruantia &
constantia fuisset. Itaq; quanti illud me aestimare pu-
tas, quod est in tuis literis scriptum? si quid incide-
rit, quod ad meam dignitatem pertineat, etsi vix fieri
possit, tamen te parem mihi gratiam relaturum. Tu
vero facile facies: nihil est enim, quod studio & be-
neuolentia, vel amore potius effici non possit. Ego, etsi
& ipse ita iudicabam, [b] & siebam crebro a meis 39
per literas certior: tamen maximam leticiam coe-
pi ex tuis literis de ipse minime dubia & plane ex-
plorata

plorata triumphi tui: neque vero ob eam causam,
 quo ipse facilius consequeretur, (nam id quidem ^{in re ob-}
 geio est) sed mehercule, quod tua dignitas, atque
 amplitudo mihi est ipsa cara per se. Quare quoniam
 pluris tu habes, quam ceteri, quos scias in hanc pro-
 vinciam proficisci, quod te adeunt fere omnes, si quid
 velis, gratissimum mihi feceris, si ad me simul atque
 adeptus eris, quod & tu confidis, & ego opto, literas
 miseris. Longi subselli (ut noster Pompeius appellat)
 iudicatio & mora, si quem tibi item unum, alterum-
 ue diem abstulerit (quid enim potest amplius?) tua
 tamen dignitas suum locum obtinebit. Sed si me di-
 ligis, si a me diligi vis, ad me literas, ut quamprimum
 leticia afficiar, mitto. Et velim, reliquum
 quod est promissi ac muneris tui, mihi persolvas.
 Cum ipsam cognitionem iuris augurij consequi cupio,
 tum mehercule tuis incredibiliter studiis erga me,
 muneribusq; delector. Quod autem a me tale quid-
 dam desideras, sane mihi considerandum est, quo-
 nam te remunerer potissimum genere, nam profecto
 non est meum, qui in scribendo (ut soles admirari)
 tantum industrie ponam, committere, ut in scriben-
 do negligens fuisse videar: praesertim cum id non mo-
 do negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futu-
 rum sit: Verum haec videbimus. Illud quod pollice-
 ris, velim pro tua fide, diligentiaq; & pro nostra non
 instituta, sed iam inueterata amicitia, cures, enite-
 re, ut supplicatio nobis quam honorificentissime, quam
 primunq; decernatur. Omnino serius nisi literas,
 quam vellem, in quo cum difficultas nauigandi fuit
 odiosa [a] tum in ipsum discessum senatus inci-
 disse credo meas literas. Sed id feci adductus au-
 toritate

toritate & consilio tuo, idq; à me recte factum puto, quod non statim, vt imperator appellatus sim, sed alijs rebus additis, astutusq; confectis literas miserim. Hac igitur tibi erunt cura, quemadmodum ostendis, meq; totum, et mea, & meos commendatos habebis. Vale.

M. T. C. APPIO PVLGRO

S. P. D.

39

Rabui¹

CVM AD NOS ALLATVM ES-

set de temeritate eorū, qui tibi negocium facerent, est graviter primo nuncio commotus sum, quod nihil tam prater opinionem meam accidere potuit: tamen vt me collegi, cetera mihi facilima videbantur: quod et in teipso maximam spem, vt in tuis magnam habebam, multaq; mihi veniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud plane moleste tuli, quod certissimum & iustissimum triumphum, hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum videbam. Quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicavi faciendum esse, facis sapienter, & ages victor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum. Ego enim plane video fore nervis optis sapientiaq; tua vehementer, vt inimicos tuos poeniteat intemperantia sua. De me tibi sic, obtestans omnes deos, promitto, atq; confirmo, me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) hac prouincia, cui tu praefuisti: rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis (vt spero) apud ciuitates, gravitate imperatoris suscepturum [b] officia atque parteis. Omnia volo à me & postules & expectes: vincam meis officijs cogitationes tuas. Ou. Seruilius

uilius perbreuicis à te mihi literas reddidit, quæ mihi
tamen nimis longæ visa sunt. Iniuriam enim mihi fie-
ri putabam, cum rogabar. Nollem accidisse tempus,
in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pom-
peium, quem vnum ex omnibus facio, ut debeo, pluri-
mi, quanti Brutum facerem: quanquam in consue-
tutine quotidiana perspexisses, sicut perspicies: sed
quoniam accidit, si quid a me prætermisum fuerit,
commisum facinus, & admissum dedecus confitebor.
Pontinius, qui a te tractatus est præstanti ac singula-
ri fide, cuius tui beneficii sum ego testis, præstat tibi
memoriam, beneuolentiamq, quam debet: qui cum
maximis suis rebus coactus a me inuitissime decessis-
set: tamen, ut vidit tua interesse, conscendens iam
nauem Epheso Laodiceam reuertit. Talia cum te
studia videam habiturum esse, innumerabilia, plane
dubitare non possum, quin tibi amplitudini ista solici-
tudo futura sit. Si vero effeceris, ut Censor creeris,
& si ita gesseris censuram, ut & potes & debes, non
tibi solum, sed tuis omnibus video in perpetuum sum-
mo te præsidio futurum. Illud pugna & enitere, ne
quid nobis temporis prorogetur: ut, cum hic tibi sa-
tis fecerimus, istic quoq, nostram in te beneuolenti-
am nauare possimus. Quæ de hominum atq, ordinum
omnium erga te studiis scribis ad me, minime mihi
miranda & maxime iucunda acciderunt, eademq,
ad me perscripta sunt à familiaribus meis. Itaq, capio
magnam voluptatem, cum tibi, cuius ~~tibi~~ amicitia
non solum [a] ampla, sed etiam iucunda est, ea tri-
bui video, quæ debeantur: tum vero etiamnum re-
manere in ciuitate nostra studia prope omnium con-
sensu erga fortes & industrios viros, quæ mihi ipsi

una semper tributa merces est laborum et vigiliarum
 mearum. Illud vero mihi permirum accidit, tantam
 temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius ego salutē
 duobus capitīs iudicijs summa contentione defendi, ut
 in tuis inimicijs suscipiendis obliuisceretur paroni
 omnium fortunarum ac rationum suarum, praesertim
 cum tu omnibus vel ornamentis vel praesidijs redun-
 dares, illi (ut leuissime dicam) multa deessent, cu-
 ius sermo stultus & puerilis erat iam ante ad me à
 M. Calio familiari nostro perscriptus, de quo item
 sermone multa scripta sunt abs te. Ego autem ci-
 tius ab eo, qui tuas inimicitias suscepisset, veterem
 coniunctionem diremissem, quam nouam concili-
 assem. Neg, enim de meo erga te studio dubitare
debes, neg, id est obscurum cuiquam in prouincia, &
nec Romae fuit. Sed tamen significatur in tuis lite-
 ris suspicio quadam et dubitatio tua: de qua alienum
 tempus est mihi tecum expostulandi, purgandi au-
 tem mel necessarium. Vbi enim ego cuiquam lega-
 tioni fui impedimento, quo minus Romam ad laudem
 tuam mitteretur? Aut in quo potui, si te palam odi-
 sem, minus, quod tibi obesset, facere? si clam, magis
 aperte inimicus esse? Quod si essem ea perfidia, qua
 sunt ij, qui in nos hac conferunt: tamen ea stulticia
 certe non fuisset, ut aut in obscuro odio apertas in-
 micitias, aut in quo tibi nihil nocerem, summam
 ostenderem voluntatem nocendi. Adme adire quos-
 dam memini, qui [b] dicerent nimis magnos sum-
 tus legatis decerni: quibus ego non tam imperaui,
 quam censi, sumtus legatis quam maxime ad legem
 Cornelianam decernendos. Atq, in eo ipso me non
 perseverasse, testes sunt rationes ciuitatum, in quibus
 quan-

quod

quantum ~~neg~~ voluit legatis tuis datum, induxit. Te autem quibus mendacis homines leuissimi onerantur? non modo sublatus sumtus, sed etiam a procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, repetitos & ablato, eamq; causam multis omnino non eundi fuisse. Querere tecum atq; expostulare, nisi (ut supra scripsi) purgare me tibi hoc tuo tempore, quam accusare te mallet: idq; putarem esse rectius. Itaq; nihil de te, quod credideris de me, quamobrem non debueris credere, pauca dicam. Nam si me virum bonum, si dignum his studiis, eaq; doctrina, cui me a pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilij in maximis rebus perspectum habes: nihil in me non modo perfidiosum, & insidiosum, & fallax in amicitia, sed ne humile quidem, aut ieiunum debes agnoscere: Sin autem me astutum, & occultum libet fingere: quid est, quod minus cadere in eiusmodi naturam possit, quam aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiam, aut eius existimationem oppugnare in p[ro]uincia, cuius laudem domi defenderis: aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis? aut id eligere ad perfidiam, quod ad indicandum odium apertissimum sit, ad nocendum leuissimum? Quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem, cum te ex fratre meo ne tunc quidem, cum tibi prope necesse esset eas agere partes, inimicum mihi fuisse, cognouissem? Cum vero [a] reditum nostrum in gratiam utiq; expetisset: quid in consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere aut sentire uoluisses? Quid mihi mandasti, cum te Puteolis prosequer, in quo non expectationem tuam diligentia mea vicerim? Quod si id est maxime astuti, omnia ad suam

utilitatem referre: quid mihi tandem erat vtilius, quid commodis meis aptius, quam hominis nobilissimi atq; honoratissimi coniunctio, cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno vel ornamento vel praesidio esse possent? Quae tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia, secutus sum. Quid, illa vincula, quibus quidem libentissime astringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio vitae atq; victus, sermonis societas, literae interiores. Atq; haec domestica. Quid illa tandem popularia? reditus illustri in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspitione perfidia: amplissimi sacerdotij collegium, in quo non modo amicitiam violari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. Quae ut omittam tam multa atq; tanta, quis vnquam tanti quenquam fecit, aut facere potuit, aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium socerum filiae tuae? Etenim si merui valent, patriam, liberos, salutem, dignitatem, memetipsum mihi per illum restitutum puto. Si consuetudinis incunditas: quae fuit vnquam amicitia consularium in nostra ciuitate coniunctior? Si vlla amoris atq; officij signa, quid mihi ille non commisit? [b] 41 quid non mecum communicauit? quid de se in senatu, cum ipse abesset, per quenquam agi maluit? quibus ille me in rebus non ornatum voluit amplissime? qua deniq; ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis? quo studio prouidit, ne qua me in illius temporis inuidia attingeret, cum me consilio, cum

auto-

autoritate, cum armis deniq. texit suis? quib. quidem temporib. hæc in te ~~gratitas~~ ^{gratitudo}, hæc animi altitudo fuit, non modo vt Phrygi alicui, aut Lycæni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus cederet. Huius igitur filius cum sit gener tuus, cumq. præter hanc coniunctionem affinitatis, quam sis Cneo Pompeio carus, quamq. iucundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cum præsertim eas ad meos literas miserit, quibus etiamsi tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumq. me ad eius viri ita de me meriti voluntatem nutumq. conuerterem. Sed hæc hætenus, pluribus enim etiam fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quæ à me perfecta, quæq. instituta sunt, cognosce. Atq. hæc agimus, & agemus magis pro dignitate, quam pro periculo tuo. Te enim (vi spero) propediem Censorem audiemus, cuius magistratus officia, quæ sunt maximi animi, summiq. consilij, tibi diligentius & accuratius, quam hæc, quæ nos de te agimus, & cogitanda esse censeo. Vale.

43. [a] M. T. C. APPIO PVLERO
(VT SPERO) CENSO-
RI S. P. D.

40

ii

CVM ESSEM IN CASTRIS
ad flumen Pyramū, reddita mihi sunt vno tempore à
te epistola duæ, quas ad me Qu. Seruilius Tarsus mise-
rat. Earum in altera dies erat ascripta Nonarū Apri-
lium, in altera, quæ mihi ~~incertus~~ ^{incertus} videbatur, dies non
erat. Respondebo igitur superiori prius, in qua scribis
ad me de absoluteione maiestatis, de qua, etsi permultū

G

ante

ante certior factus eram literis, nuncys, fama denique ipsa (nihil enim fuit clarius: non quo quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem viris obscure nunciari solet) tamen eadem illa letiora fecerunt mihi tuae literae: non solum quia planius loquebantur, & verius, quam vulgi sermo: sed etiam quia magis tibi videbar gratulari, cum de te ex te ipso audiebam, complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam vero osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum. Quae enim a cuncto populo, a senatu, a iudicibus, ingenio, industrie, virtuti tribuuntur: quia ipse mihi assensior fortasse, cum eam esse in me fungo: mihi quoque, ipsi tribui puto. Nec tam gloriosum exitum tui iudicii extitisse, sed tam ^{peruicacem} ~~peruicacem~~ inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar. De ambitu vero quid interest, inquires, an de maiestate? ad rem nihil: alterum enim non attigisti, alteram ^{auxisti} ~~auxisti~~. Veruntamen est maiestas (ut Sylla voluit) ne in quemuis impune declamare liceret. Ambitus vero, ita apertam vim habet, ut aut accusetur improbe, aut defendatur: qui enim facta, [b] & non facta largitio ignorari potest? 41
Tuorum autem honorum cursus, cui suspectus unquam fuit? me miserum, qui non assuerim: quos ego risus excitassem? Sed de maiestatis iudicio, duo mihi illa ex tuis literis incundissima fuerunt: unum, quod te ab ipsa Republica defensum scribis, quae quidem, etiam in summa honorum et fortium civium copia, tueri tales viros deberet, nunc vero eo magis, quod tanta penuria est in omni vel honoris vel etatis gradu, ut tam orba civitas tales turpes complecti debeat: alterum quod Pompeii, & Bruti fidem, benevolentiamque mirifice laudas. Lator virtute & officio cum
tuorum

tuorum necessariorum, meorum amicissimorum, tum maxime alterius omnium seculorum, & gentium principis: alterius iampridem inuentus, celeriter (ut spero) ciuitatis. De mercenarijs testibus a suis ciuitatibus notandis, nisi iam aliquid factum est per Flaccum, fiet a me, cum per Asiam decedam. Nunc ad alteram epistolam ~~pergo~~. ~~Quod idem~~ quasi formam communium temporum & totius Reipublice misisti expressam, prudencia literarum tuarum valde est mihi grata. Video enim & pericula leniora, quam timebam, & maiora praesidia: siquidem (ut scribis) omnes vires ciuitatis se ad Pompeij ductum applicauerunt: tuumq; simul promptum animum & alacrem perspexi ad defendendam Rempublicam: mirificamq; caepi voluptatem ex hac tua diligentia, quod in summis tuis occupationibus, mihi tamen Reipublicae statum per te notum esse voluisti. Nam augurales libros ad commune vtriusque nostrum ocium serua. Ego enim a te, cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbem te ociosissimum esse arbitrabar: 44. [a] nunc tamen, ut ipse polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas consecras omnes expectabo. Tullius, cui mandata ad me dedisti, non conuenerat me, nec erat iam quisquam mecum tuorum, praeter omnes meos, qui sunt omnes tui. Stomachosiores meas literas quare dicas esse, non intelligo: bis ad te scripsi, me purgans diligenter, te leniter accusans in eo, quod de me cito credidisses: quod genus querela mihi quidem videbatur esse amici. Sin autem tibi displicet, non utar ea posthac. Sed si, ut scribis, haec literae non fuerunt disertae, scito meas non fuisse. Ut enim Aristarchus Homeri versum negat, quem non probat:

fic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in Censura, si iam es censor (vi spero) de proauo multum cogitato tuo. Vale.

M. T. C. APPIO PULECRO

41

S. P. D.

~~Calpurnius ADISOR 12~~
 GRATULOR TIBI PRIUS (ITA

enim rerum ordo postulat) deinde ad me conuertar. Ego vero vehementer gratulor de iudicio ambitus, neq; id, quod nemini dubium fuit, absolutum te esse, sed illud, quod quo melior ciuis, quo vir clarior, quo fortior amicus es, quoq; plura virtutis & industrie ornamenta in te sunt, eo mirandum est magis, nullam ne in tabella quidem latebra fuisse absconditam malevolentiam, quae te impugnare auderet, non horum temporum, non horum hominum atq; morum negotium, nihil iam sum pridem admiratus magis. De me autem suscipe paulisper meas parteis, & eum te esse singe, qui ego sum: si facile inueneris quid dicas, noli ignorare hesitationi [b] mea. Ego vero velim mihi Tulliaq; mea (sicut tu amicissime & suauissime optas) prospere euenire ea, quae me insciente facta sunt a meis: sed ita cecidisse, vt agerentur eo tempore, spero omnino cum aliqua felicitate, & opto: verum tamen plus me in hac spe, tua sapientia & humanitas consolatur, quam opportunitas temporis. Itaq; quemadmodum expediam exitum huius institutae orationis, non reperio: neq; enim tristius dicere quicquam deo ea de re, quam tu ipse omnibus optimis prosequeris: neq; non me tamē mordet aliquid, in quo vnum vereor, ne tu parū perspicias ea, quae gesta sunt, ab illis esse gesta, quib.

quib. ego ita mandaram, vt cum tam longe abfuturus
esset, ad me ne referrent : agerent, quod probassent.
In hoc autem mihi illud occurrit. Quid tu igitur si
affuisses ? rem probassem de tempore, nihil te muto,
nihil sine consilio egissem tuo. Vides sudare me, iam-
dudum laborantem quomodo ea tuear, quæ mihi tu-
enda sunt, & te non offendam. *Leua me igitur hoc*

onere : nunquam enim mihi videor tractasse causam
difficiliorem. Sed tamen sic habeto, nisi iam tunc om-
nia negocia cum summa tua dignitate diligentissime
consecissem, tamen si nihil videbatur ad meum erga te
pristinum studium addi posse : tamen hac mihi affini-
tate renunciata, non maiore equidem studio, sed acri-
us, apertius, significantius, dignitatem tuam defen-
dissem. Decedente mihi, & iam imperio annuo termi-
nato, ante *Jonas Sextileis*, cum ad Sidam naui acce-
derem, & mecum *Qu. Seruilius* esset, literæ à meis
sunt redditæ : dixi statim *Seruilio* (etenim videbatur

45. esse commotus) vt omnia à me maiora [a] expecta-
ret : quid multa ? beneuolentior tibi, quam fuerim,
nihil sum factus : diligentior quidem ad declarandam
beneuolentiam multo. Nam vt vetus nostra simulas
antea stimulabat me, vt cauerem, ne cui suspicionem
fictæ reconciliata gratiæ darem : sic affinitas nouam
curam mihi affert cauendi, ne quid de summo meo
erga te amore detractum esse videatur. Vale.

M. T. C. APPIO PVLCHRO

S. P. D.

42

13

QVASI DIVINAREM TALI
officio fore mihi aliquando expetendū studium tuum :

G 3

sic,

fic, cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo. Dicam tamen vere, plus, quam acceperas, reddidisti. Quis enim ad me non perscripsit, te non solum auctoritate orationis, sententia tua, quibus ego à te tali viro contentus eram: sed etiam opera, consilio, domum veniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum fecisse? Hec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa: propter quæ hæc elaborantur. Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute affecti sunt: talium virorum tanta studia assequi sola virtus potest. Itaq; mihi propono fructum amicitie nostræ ipsam amicitiam, qua nihil est vberius, præsertim in ijs studijs, quibus vterq; nostrum deuinctus est. Nam tibi me profiteor, & in Republica socum, de qua idem sentimus, & in quotidiana vita copunctum, cum ijs artibus studijsq; quæ colimus. Vdum ita fortuna tulisset, vt quanti ego omnes tuos facio, tantum tu meos facere posses: quod tamen ipsum, nescio quâ permotus animi diuinatione, non despero. Sed hoc nihil ad te: [b] nostrum est onus. Illud velim sic habearis, quod intelliges, hac repouata additum potius aliquid ad meum erga te studium, cui nihil videbatur addi posse, quam quicquam esse detractum. Cum hæc scribebam, Censorem iam te esse sperabam: eo breuior est hæc epistola, & vt aduersus magistrum morum, modestior. Vale.

M. T. CICERONIS EPI-
STOLARVM LIBER IIII. AD SER-
VIVM VLPITIVM, ET
CÆTEROS.